



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Antonivs Ep. 12. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quid est, quod matutinâ prece totius diei custodiam
 nolumus postulare? quid est, quod homini toto
 tempore assistere libet, Deo nec puncto assistere libet?
 S. Pet. Chryf. serm. 34.

S. ANTONIVS EP. 12, Februarij.

Invidebis juventus suam ANTONIO puerulo
 Doctorem. Hic, si nescis, S. Spiritus erat Hoc,
 neque alio magistro primas ille literas didicit. Et
 verò Minerval cælo dignum persolvit; sive cum
 ludentis pueritiæ societatem averfatus viro dignâ
 puer egit, aras struxit, aris thura, & quæ thure sua-
 vius olent apud Superos, preces dedit; sive cum
 postea mundo totum sese surripuit Numinisque
 cultui inter monachos mancipavit. In hac quoque
 virtutis scholâ tam profecit ANTONIVS, ut in
 suam deinde sententiam mundi que contemptum
 etiam parentem pellexerit. Et vidisses tunc gran-
 davum parentem sub filii disciplinâ adolescere,
 vitæ rationem à filio discere, jamque in filio pa-
 rentem agnoscere. Sed hoc quoque mortuo AN-
 TONIVS in hereditatem miseros evocavit. At cum
 in tot heredes non sufficeret illa, ingentem auri-
 vim Angelus auctarium adjecit. Plura deinde E-
 piscopatus Constantinopolitanus suggestit, ut in-
 sula jam non tam ANTONIVM quam miseros tege-
 ret. A morte mulierem, quæ crus fregerat, ut fu-
 nus comitari posset, in pedes erexit, & ut hæredes
 suos neque mortuus videretur neglexisse, cresce-
 re, quæ tunc erogabatur, inter manus stipem fecit.
 Odor, denique mirus etiam in cadavere virtutem
 laudavit. Ex Niceph. apud Sur.

Esto homo, esto & Dei sacrificium & sacerdos
 induere sanctitatis stolam, præcingere baltheum casti-
 tatis

ratis, sit in velamento capitis tui Christus, crux in frontis munimine: in odorem thymiana orationis semper accende, altare cor tuum pono. S. Pet. Chryf. ser. 108.

S. IULIANVS CONF. 12. Februarij.

Quoties dum hostem petit, se sauciat & suos ira! Domo aberat IULIANVS, familiam conjuge curante. Interea parentes adsunt, & quem puerum amiserant, filium quærunt. Heu quam præstabat nunquam invenire! At conjux gratulata sibi, quod benefacere etiam absenti IULIANO in parentibus posset, humanissimis verbis hospites salutatur, epulo laurissimo excipit, ab epulo in suo thalamo molliter locat, nescios funebrem se lectum conscendere. Et fortè jam filium somnabant: cum ecce adest hic, & ubi primùm à geminis premi lectum videt, sive nox, sive thori violati suspitio oculos fascinaverat, præcipiti vindictâ utrumque ferro trajicit, lectumque dum ab adulterio purgare parat, ah! paricidio maculat. Mox uxor superveniens, & dies facinus monstrant. Hic demum IULIANVS non longiùs fugisse se parentes ingemiscere, accusare paricidas manus, ultrò omnes culeos advocare, denique cogitare, qui nefas tantum seridò in se castigaret. Longum supplicium placuit. Xenodochium propter fluminis ripas construxit, rectiùs in hoc hospites pauperes accepturus, omniumque ipse bajulus per undas futurus. Et fuit cum leprosi formam Christus induit. Hunc cum IULIANVS transportatum foco fovisset ridentem, mensâ esurentem, & suo lectulo dormiturentem, ecce paricidii veniam manifestus, vel dedit, vel olim datam nuntiavit. Perrexit tamen ille operam suam eò studiosius probare, quo hospite